Tertia parte idolum Patelo nomine ſitum fuit, cujus honor
A in retinendo alicujus mortui hominis capite conſiſtebat. *Guagn. in Pruſſia.*

TEMPLA EXPIATA.

P. Scipio Africanus poſterior, expugnata Carthagine, circà Siciliæ civitates literas miſit, ut ornamenta templorum ſuorum à Pœnis rapta, per legatos recuperarent, inque priſtinis ſedibus reponenda curarent. *Val. Max. lib. 5. cap. 1.*

Romæ, cùm Gracchi cæde Cereri templum pollutum eſſet, Romani Sibyllinis libris moniti, ut offenſam Cererem placarent, Ennam, vel Ætnam Siciliæ civitatem (quoniam ejus ſacra inde orta credebant) quindecim viros ad deam propitiandam miſerunt. Strabo *lib. 16. Val. Max. lib. 1. cap. 1.* Lactant. *de falſa Religione.*

TEMPLA NON VIOLATA.
Sanguine, Cæde.

Agesilaus ex Aſia reverſus, Athenienſes & Bœotos, eorum
B ſocios apud Coroneam gravi prælio vicit. Hujus victoriæ, vel maxima fuit laus, quod cùm plerique ex fuga in templum Minervæ confeciſſent, quæreretur que ab eo; Quid his fieri vellet? etſi aliquot vulnera acceperat eo prælio, & iratus videbatur omnibus, qui adversùs arma tulerant: tamen antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Neque hoc tantùm in Græcia fecit, ut templa Deorum ſancta haberet, ſe & apud Barbaros, ſumma religione, omnia ſimulacra, araſque conſervavit. Itaque prædicabat, mirari, ſe, non ſacrilegorum numero haberi, qui ſupplicibus eorum nocuiſſent, aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quàm qui ſana ſpoliarent. *Probus in Ageſilao.*

Idem Thebanos ad Heliconem ſuperaverat. Confugerant ad octoginta hoſtium in templum Apollinis. Quod ubi Ageſilaus per equites exploratum habuit, miſit, qui ſine offenſa eos inde emitterent, atque uſque in Patriam comitarentur, veritus, ne militum temeritate locus cæde pollueretur. *Sab. l. 2. Enn. 4.*

Alexander Magnus ſcripſit Megabyzo de ſervo, qui ad ædem ſacram confugerat, jubens: Si queat extra templum, ut
C invitatum occuparet, in templo ne ei iniiceret manum. *Plut. in Alexandro.*

Venere, Stupro.

Ægyptii quotannis in urbe Papremi ad cultum Martis conveniunt, ſacerdotibus inter ſe decertantibus ad oſtium templi. Ajunt indigenæ, Conventum hunc ideò inſtitutum, quòd id templum incolat mater Martis: & ad eam Martem jam adultum, ac virilis ætatis veniſſe, gratia coeundi cum matre: quem materni miniſtri, ut qui eum anteà non cognoviſſent, ingredi ad matrem non permiſerunt, ſed repulerunt. Hunc autem ex alia civitate adductis hominibus cuſtodes malè mulctaſſe. Et ob hanc rem ajunt ſolemnem eſſe Marti die illo feſto rixam: & inſtitutum, ne in templo cum feminis coiretur, neve à mulieribus niſi abluti templa adirent. *Herod. lib. 2.*

Vino.

☞ *Conſule Tit. Abſtinentia ciborum.*

Heliopolitani, qui Api ſerviunt, vinum omnino non inferunt in templum. *Plut. de Iſide.*

Sacrilegio. Non Direpta,
Non ſpoliata templa.

D Perſæ imperantes Aſiæ, cùm omnia Græcorum loca ſacra expilaſſent, ſolùm ſemideæ Rheæ templum, quod in Caſtamo Cherroneſi extat, nec mœnibus, nec cuſtodiis cinctum, intactum reliquere. Latrones inſuper ſingula rapientes, hoc ſolùm haudquaquam muro cinctum, ut abſq; periculo ſpoliari queat, inviolatum ſinunt. Hujus rei cauſam tradunt, Deæ communem in omnes beneficentiam. Nam & ægros per ſomnum curas morborum docet, & multis inſuper ſanitatem deſperantibus ſalutem præbet. Mulieres prætereà parturientes à laboribus, ac vitæ diſcrimine hæc liberare dicitur. *Diod. lib. 5.*

Datis Medus Darii dux, Græciæ inſulas claſſe occupabat, Delii relicta inſula in Tenedum perfugerant. Sed tantùm abfuit, quòd natalem Apollinis terram violari paſſus ſit Datis, ut Deliis per caduceatorem domum redire juſſis, ipſe ccc. thuris libras, ſuper aram Phœbo ſacram adoleverit. *Sab. l. 1. Enn. 3. Val. lib. 1. cap. 2. & Cic. in 2. Verrina.*

Nicias portum Syracuſanum ceperat. Propinquum erat Jovis Olympii fanum, quod capere, quia multa ibi dona aurea, & argentea erant, cupiebant Athenienſes. Cæterùm rem Nicias de induſtria reiiciens, templo excluſus eſt, permiſitque
E eò præſidium Syracuſanorum ingredi: exiſtimans, ſi direptæ à militibus illæ opes eſſent, ærarium nihilo locupletius fore, infamiam verò violati fani in ſe recaſuram. *Plut. in Nicia, & Pauſan. in Phocicis.*

Demetrius Poliorcetes à Regibus ingenti prælio victus, cum v. m. peditum & iv. m. equitum fugiens, citato curſu delatus Epheſum, omnibus non abſtenturum ob pecuniæ difficultatem ſano exiſtimantibus, quia timebat ipſe, ne id facerent milites, raptim movit ſigna. *Plut. in Demetrio.*

Eversione.

Alexander M. Cùm Thebanis tantopere iratus eſſet, ut & cives ſub haſta venderet, & urbem ſolo æquaret, ſumma tamen diligentia cavit, ne vel ab invitis ullum templum, aut lucus violaretur. *Suidas.*

Seleucus Rex cum condita Seleucia ad Tigrim fluvium, in eam Babylonios inquilinos deduceret, neque muros Babylonis demolitus eſt, neque Beli templum evertit, & Chaldæis, ut proxima templo loca inhabitarent, permiſit. *Pauſan. in Atticis.*

Ingressu Profanorum.

Jovis Lycæi fanum ſpontè ingreſſos Arcades lapidibus
F obruunt: per imprudentiam verò ad Eleutheras dimittunt. *Plut. in quæſt. Græcanicis.*

Sputo.

Alvaresius apud Abyſſinos Afros, vel mucorem, vel ſputum excreare in templis, pro inſigni flagitio haberi ſcribit. *Jo. Bodinus Methodi hiſt. cap. 5.*

Anhelitu.

Suantoviti Rugianorum Vandalorum idoli in urbe Arcone Sacerdos ædem ſcopis purgabat quotannis poſt lectas fruges, ſpiritu oris compreſſo. *Sax. lib. 14.*

Stupro.

☞ *Superſtitionis legem hìc ſpectamus, quæ etiam in Deorum conſpectu impudica permittit. Nam ſi contra legem id fiat, non ad Superſtitionem, ſed ad Impietatem pertinebit.*

Cæteri ferè Mortales, præter Ægyptios, ac Græcos coeunt in templis: & à mulieribus ſurgentes, non abluti introeunt
G templum, putantes hominem eſſe, ut cæteras animantes. Etenim videre licet & pecudes alias, & volucrum genera coire in Deorum templis, atque in fanis: quod ſi non eſſet Deo gratum, neque illas utique id eſſe facturas, allegant. *Herod. lib. 2.*

ARAS SUPERSTITIOSE COLERE, QUORUM DEORUM.

Erant in agro Attico multæ Diis Ignotis ſacræ aræ, ut Lucas attingit in *Actis Apoſtol. cap. 17. & apud Pauſaniam in Attica θεῶν ἀγνώστων βωμοὶ*, quæ aræ invento Epimenidis Cretenſis ſunt erectæ, nam cum regio peſtilentia laboraret, conſultaque Pythia reſpondiſſet, expiari oportere urbem, & agros, nec, cui Deo ſacrum fieri oporteret, dixiſſet: Epimenides, qui tunc Athenis erat, juſſit dimitti hoſtias per agros, ſequique eas ſacrificos, & in quo loco quæque conſtitiſſet, ibi mactari eam, immolarique Deo Ignoto propitio. Itaque ex eo tempore, etiam ad ætatem Laertii Diogenis, frequentes viſebantur per pagos Atticæ terræ, ſacræ aræ ſine nomine. *Lud. Vives in lib. 7. Aug. de Civitate Dei cap. 17.*

Extra Crotonem olim Junonis Laciniæ templum fuit, multa religione ſacrum. In quo ara ſub dio fuit, cujus cineres nun-
H quam ventorum impulſu diſſipati fuerunt. *Sabellicus lib. 3. Enneadis 5.*

Apud Gaderam in Hiſpan. duas aras, Alteram Anno, alteram Menſi, ut longiori, & breviori tempori, dicatam eſſe ferunt. *Ælian. de var. hiſt.*

QUOMODO. Videlicet
Extruendo.

Olympii Jovis ara in Olympia pari intervallo à Palopio, & Junonis æde diſtat, ante utriuſque frontem ſita. Erectam multi tradiderunt ab ipſo Hercule, alii ab indigenis heroibus, duabus ipſis ætatibus poſt Herculem: Congeſta illa eſt è cinere collecto, ex aduſtis victimarum fœmoribus. Talis & Pergami ara eſt, talis Samiæ Junonis eſt: nihilo illa quidem ornatior, quàm in Attica, quos Rudes appellant focos. *Pauſanias, lib. 5.*

Virginia, L. Voluminii plebeii viri uxor, patritio genere
A orta, cùm ob maritum plebejum, ſacellum Pudicitiæ in foro Boario, patritiis deſtinatum adire prohiberetur, contumeliæ impatiens, in parte ædium, quas in Longo habuit vico, à prophano uſu excluſa, aram Plebejæ Pudicitiæ conſtituit, hortataque eſt ejuſdem ordinis matronas, darent operam, ut ara illa à ſanctioribus, caſtioribuſque, quàm patritia, coli crederetur. *Sab. lib. 7. En. 4.*

Purgando.

Olympio Jovi Elei ſacra faciunt. Stato die quotannis Februarii menſis nono ſupra decimum aruſpices cinerem ex ſtrytaneo deportant, eoque aqua ex Alpheo amne diluto, aram Jovis oblinunt. Religione ſancitum eſt, cinerem ſola Alphei aqua dilui, atque ex eo tantùm luto aræ tectorium ſuperindui. Eam ob rem Alpheus fluviorum omnium Jovi maximè amicus creditur. *Pauſanias lib. 5.*

Dedicando.

Aras dedicaturi diis Veteres, legumina elixa proximitiis offerebant dedicatis, ob memoriam grati animi de primo victu. *Ariſtoph. in Danais:* Teſtor Jovis Hercei ollas, cum quibus ara dedicata eſt olim. Interdum etiam ſumptuoſiore ho-
B ſtia dedicantur. *Suidas in proverb. χύτραις ἱδρυτέον.*

Utendo.

In curriculo Olympico ad aggeris exitum ara eſt figura rotunda. Ad eam Deus colitur, quem Taraxippum ab incutiendo equis pavore nuncupant. Solent enim injecto terrore circa aram hanc equi tam vehementer conſternari, ut incertum, unde coorta trepidatione ſæpè illiſis curribus affligantur aurigæ. Quo igitur equo, & propitio utantur Taraxippo, ad eam aram aurigæ vota nuncupant. In Argivorum Nemea nullus omnino eſt Herois genius, qui equis pavorem immittat: ſaxum tantùm eminet in ipſo curriculi flexu, colore rutilo, cujus fulgore excitantur equi haud aliter multò, quam ſi immiſſis ignibus injecta eſſet trepidatio. Sed qui ab Olympico exiſtit Taraxippo, longè eſt acerrimus terror. *Pauſanias lib. 6.*

Non Polluendo.
Cæde.

Cùm Peloponneſii Athenas adortieſſent, & Codrus rex ſe pro patria devoviſſet, ibi qui è Spartanis jam intra portas irruperant, ubi ſe deſtitutos animadverterunt à ſuis, nocte ea
C delituerunt, jam verò cùm illuxiſſet, & in eos Athenienſium ex omni urbis parte concurſus fierent ad aras dearum, quæ Severæ appellantur, in Areopagum ſe receperunt, & incolumes dimiſſi ſunt. *Pauſanias in Achaicis.*

SUPERSTITIO CIRCA
Sacrificia.

De his poſt omnes alios & eleganter, & methodicè ſcripſit Lilius Gregorius Gyraldus in Hiſtoria Deorum gentilium. Cui vacat, ex illius fontibus ſuos deducat rivulos. Conſul Tit. Feſta religioſa Ethnicorum, quatenus ſacrorum enarrationem habent junctam.

SACRA SUPERSTITIOSE OBITA.
Reſpectu
Materiæ. Quatenus ſunt
Mirabilia.

Apud Eleós in Bacchi feſto, quod θύιαν nuncupant, illati
D templo lebetes tres noctu ſpontè implentur vivo, foribus accuratè occluſis, obſignatis etiam, ne fraudem ſuſpicari quis poſſit. Quin Andrii quoque quotanis ejuſdem ſolemni die ſpontaneum à templo ſcaturire vinum, prædicant. *Cœlius l. 15. cap. 28. A. L.*

Hermionenses Cereri Cithoniæ ſacra faciunt. In extremo agmine pompæ eximiæ boves vinculis diſtentæ, & ferociter reluctantes ad templum trahuntur. Ibi earum una immiſſis retinaculis intrò agitur: repentè poſtis obiicitur. Eam aniculæ quatuor de induſtria intus relictæ falcibus exceptam facilè conficiunt, collum earum una, ut caſus tulerit, hoſtiæ præſecat. Rurſus patefactis foribus, iis, quibus id negotii datum eſt, alteram bovem, mox tertiam, & quartam intrudunt, ac ſingulæ eodem modo ab illis aniculis mactantur. Aliud in ſacro miraculum evenit. In quod latus prima bos conciderit, in idem & reliquæ procumbunt. *Pauſanias in Corinthiacis.* Feſtum Cithonium dicitur. Super ea re carmina circumferuntur apud Græcos, auctore Ariſtotele, quæ recenſet *Cœlius lib. 23. c. 39. Antiq. Lect.*

In Myſia ſupra Caycum modica urbs Pioniæ appellatur,
E cujus conditorem Pionin de poſteris Herculis unum perhibent. Huic dum parentant, ſpontè fumus è ſepulchro exilit. Hoc ipſe præſentem vidiſſe teſtatur *Pauſan. in Bœoticis.*

Spontanea, Reluctantia.

In deorum Manium ſacris apud Veteres averſa, & triſtia auſpicia, aut dira, & nefanda, magis fauſta, & felicia fuere. Itaque in his ſacris potiùs erat non litare, quàm litare. *Alex. lib. 2. cap. 12.*

Eſt apud Eosdem obſervatum, ut ſi cùm vinum hoſtiæ fundendum foret, potiùs molam, aut fruges in caput ſpargerent ordine præpoſtero: aut ſi cùm hoſtia ad aras ducitur, vehementiùs fuiſſet reluctata, oſtenderetque ſe invitam altaribus admoveri, vel ab ara aufugiſſet, vel percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam corporis partem, quàm oporteret, cecidiſſet, piaculare ſacrum, & triſte auſpicium faceret, quaſi invitis diis offerri videretur. *Alex. lib. 3. cap. 12.*

Jones contra inſtituta, moreſque ſacrorum tunc maximè hoſtiam litare, & diis gratam fieri putabant, cùm inter immolandum taurus mugitus daret. *Idem.*

Sumptuoſa.

F *Suidas ait, τελετὴν eſſe myſterioſum ſacrificium, maximum, & ſumptuoſiſſimum; ſic nominatum, quòd in eo multa conſumerentur. Eſt enim, τελεῖν inſumere, tametſi eſt quoque perficere: & ideò eſſe, quibus hinc potiùs Teletas eſſe dictas placeat, ceu ſint abſoluta quædam ſacrificia, & quibus nihil deſit. Talia erant ſacra Solis, & Lunæ, ut ſcribit Porphirius, & Bacchi, & quædam expiationes, quæ libris Orphei, & Muſæi continebantur, ſicut Plato docet libro de Republica ſecundo, quibus ſcelera non privatorum modò, ſed publicè quoque civitatum, & pro viventibus, & vita jam functis expurgarentur per ſacrificia, ludoſque, & omne genus oblectamentorum, quæ ſacra Teletæ dicerentur. Etſi Plato eo loci Teletas ad ſolos mortuos pertinere dicit, & inde dictus, nempe ἀτελευτήσασι; quæ nos malis, quæ apud inferos ſunt, liberent, αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς.* Vives in lib. 4. de Civit. Dei, cap. 41.

Reſponſum Jovis Ammonis Athenienſibus datum fuit, Jovi magis cordi eſſe vota Lacedæmoniorum tenvia; & modicas oblationes, pias, & caſtas, quàm immodica, & opulenta Atheniensium: atque opimis hoſtiis, & victimis illorum fœ-
G dari aras. Id quod Pythagoras cenſuit, thure, & libis magis gaudere, & placatiores eſſe deos, quàm hecatombis, & multò anguine aſſiduè aras cumulari. *Alex. lib. 3. c. 22.*

Ptolemæus Philopator, cùm cæſo, fugatoque Antiocho honorem deo habere vellet magnificè, cùm multas alias obtentæ ex prælio palmæ gratia victimas, tum quatuor elephantes immolavit. Inde quòd ſomnium illi noctu fuiſſet, Jovem ei infenſum inuſitati illius ſacrificii cauſa comminari, multis piaculis id procuravit, elephantoſque quatuor ex ære mactatorum loco poſuit. *Plut. de Animan. comp.*

M. Cælius Balbinus, & M. Clodius Pupienus Imp. adversùs Maximinorum ſævitiam à Senatu creati, præter alia, quæ ad ſuam, patriæque defenſionem paraverant, Hecatomben, ſi victoria potirentur, voverunt. Id autem ſacrum centum aris conficiebatur, centumque in eis inſignia animalia, veluti leones, tauri, atque aquilæ ſacrificabantur. Audita Maximinorum morte eam ſumma fide, & magnificentia perſolverunt. *Fulg. lib. 1. cap. 1.*

Julianus Imp. Apoſtata nequiſſimus aras multò victimarum ſanguine perfundebat, & tauros quandoque immolabat centenos, & innumeros varii pecoris greges. *Ammian.* H

Herodes Atticus ſophiſta, cui divitiarum initium ex theſauro à patre propè domum invento fuit, centum boves uno Minervæ die ſacrificare ſolitus erat. *Philoſtratus.*

Vilia.

Carica victima, de macilenta hoſtia, minimèque eſculenta dicebatur. Hinc ductum, quòd Caribus populis mos fuerit, canem immolare. Non inconcinnè torquebitur ad cibum appoſitum, inſipidum, & quem nemo velit attingere. *Eraſmus in Adagiis.*

Apud Lacedæmonios ſi dux fortiter dimicaſſet, & cruento marte, magnaque hoſtium clade viciſſet, trophæi loco gallum diis immolabat. Qui verò deditione, & pacto, nec nimium cruenta victoria potitus, belli mala vitaſſet, bovem ſacrificabat. Ut ſignificarent, magis decere Imperatorem (juxta Periclis ſententiam) conſilio, & aſtu, quàm gladio, & multò ſanguine fuſo, victoria potiri. *Alex. lib. 1. cap. 22.*

Ludiera, Ridicula.

THEBANI compitalibus non humano ſanguine ſacra polluebant, ſed pilas, & effigies viriles, & muliebres ex lana in compitis ſuſpendebant: laribuſque tot pilas, quot eſſent ſervorum capita, & tot effigies, quot eſſent liberi, noctu pro victimis dabant: ut ſi quod periculum familiæ immineret, aut triſte fatum, hoc ſacrificii genere expiarent. *Alex. l.2.cap.22.*

Cùm RUSTICI quidam Herculi Alexicaco bovem eſſent immolaturi, iſque rupto fune profugiſſet, nec eſſet, quod ſacrificaretur: malum arreptum ſuppoſitis quatuor ramis crurum vice, deinde additis alteris duobus, ceu cornuum loco, bovem utcunque ſunt imitati, idque ridiculum ſimulacrum pro victima ſacrificarunt Herculi. *Julius Pollux l.de Vocabulis rerum primo*, fabulam aliquanto ſecus narrat, nempe ad hunc modum. Solemne eſt, inquit, apud Bœotos, Herculi malis rem divinam facere. Cùmque jam adeſſet Dei feſtum, & immolandæ victimæ tempus urgeret (porrò hoſtia erat aries) cùm ea ſeriùs adduceretur, propterea quòd Aſopus fluvius ita ſubitò creviſſet, ut tranſiri non poſſet, pueri, qui juxta aram ludebant, ſacrificii ritum nihilominùs peregerunt. Pulchro cuipiam malo quatuor ſtipulas vice pedum addiderunt, rurſum alias duas cornuum loco, imaginantes ſeſe ad eum modum arietem immolare. Creditum eſt Herculem hac victima magnoperè delectatum, proinde manſiſſe apud Thebanos hunc morem, ut malis ſacrificaretur Herculi, Cognomen hinc additum Deo, ut ἡρακλῆς μήλων, vel μήλιος, id eſt, Hercules malorũ, vel pomaceus vocaretur. *Eraſ.in Adagiis ex Suida, & Apollodoro apud Zenodotũ.*

Quoties aliquid inventu rarum, aut difficile ſacrificio adhiberi oporteret, illud cera, vel pane effictum apponere ſatis erat, ſimulacraque ejuſmodi ficta, & commentitia, ac ſi ipſa res repræſentaretur, eandem vim, vigoremque habuiſſe: id quod à Græcis obſervatum comperimus. Cùm CYZICENI nigram bovem Palladi quotannis immolarent, & preſſi obſidione bovem comparare nequirent: ex frumento illam effinxere, eoque pacto perſoluto voto numen expiarunt. ATHENIENSES quoque in feſtis Jovis Militii, quæ Dialia vocant, extrà urbem ſæpè non veras victimas, ſed commodè effictas obtulere. *Alexander lib.3.cap.12.*

Cùm aliquando LOCRENSES publicum ſacrum facturi bovem deſiderarent, compoſito ex minutis lignis bovis ſimulachro, diis rem divinam fecerunt. Atque hinc vulgus adagionem arripuit λοκρικὸς βοῦς. *Eraſmus.*

Cùm apud VETERES ſex animantium genera mactari diis ſoleant, ovis, ſus, capra, bos, gallina, anſer: pauperes non habentes vivum animal, quod immolarent, bovis ſimulachrum è farina fingere conſueverunt. Is quoniam ſenſu, vitaque careret, in ſtoliditatis abiit proverbium, βοῦς ἕβδομος, Bos ſeptimus citatur apud Suidam *Euripides in Erechtheo, & Achæus in Iride*, qui proverbium hoc uſurpaverint. *Eraſmus.*

Terribilia.

Scripſit *Pauſanias in Arcadicis*, BATHON vallem quandam fuiſſe, in qua vulgatum fuit, Gigantes prælium adversùs deos commiſiſſe, quo in loco rem divinam facere fulguribus, tonitruis, ac procellis, mos fuit, ad ejus certaminis imitationem.

Crudelia. Nempe

Sanguine ſuo.

BELLONÆ ſacerdotes non animali hoſtia, nec victima, ſed ſuo cruore ſacrificant. Gladios enim diſtrictos utraque manu tenentes humeros ſibi, & lacertos tanquam phanatici diſſecant: hoc ſanguine litari, & crimina expiari putantes, ita ut pro vulneribus ſtipes recipiant. *Alex.lib.3.c.12.*

Cæde aliorum.

Philo, qui Phœnicum hiſtoriam ſcripſit, PRISCIS morem fuiſſe tradit, ut in magnis periculis princeps dilectiſſimum ex liberis ulciſcenti dæmoni, quaſi redemptionis præmium, traderet: & ſic traditum myſticè jugularet. *Polydorus lib.5.cap.8. de Rerum invent.*

JEPHTHE Galaadites victoria potitus adversùs Ammonitas, cùm obviàm primò haberet in reditu filiam, voti ſolvendi ergo eam Deo immolavit. *Fulgoſ.lib.1.cap.1.*

MESA Moabitarum Rex à Joram rege Iſraelitarum in urbe Haraſeth obſeſſus, cùm ſpem nullam effugii eſſe videret, filium ſuum natu maximum in conſpectu hoſtium ſuper mœnibus immolavit. Ea atrocitate territi Iſraelitæ, obſidionem ſolverunt. *Lib.4.Regum, cap.3.*

SENNACHERIB Aſſyriorum Rex, maxima clade divinitus Hieroſolymis affectus, Ninivem reverſus, quæſivit à ſuis Senatoribus, quamobrem Deus tam ſtudioſus eſſet Judæorum? Reſponderunt illi: Propter Abrahamum, generis eorum auctorem, qui filium ſuum unicum Deo immolare voluerit. Tum Rex ſe filios duos immolaturum dixit, divini favoris conciliandi cauſa: Adramelech autem, & Saraſar filii patrem, in ædem Dagonis ad precandum ſe conferentem, metu mortis interfecerunt, & in Armeniam evaſerunt. *Tobiæ 2.*

LYCAON Pelaſgi F. Arcadum rex, ad Jovis Lycæi aram infante mactato, humanum ſanguinem primus libavit: quare in lupum inter ipſa ſacra mutatus dicitur. Poſt Lycaonem etiam multi alii in iiſdem ſacris ex omnibus lupos factos tradunt, non tamen in reliquum omne tempus, ſed decimo tandem anno, ſi intereà humana carne abſtinuiſſent, priſtinam hominis figuram recepiſſe. *Pauſ.in Arcad.*

DEMARCHUS, Parrhaſius genere, eò quòd in ſacrificio (quod Arcades Jovi Lycæo humano hoſtia faciebant) immolati pueri exta deguſtaſſet, in lupum converſus eſt, ac demùm decimo anno humanæ figuræ reſtitutus. *Plinius lib.8. c.22.* ubi eum Dementum, non Demarchum vocat, niſi menda ſit.

Cùm Athamas Æoli F. ex conſilio ſecundæ uxoris Ino, Phrixum F. cum ſorore Helle occidere conatus fuiſſet, & illi aureo ariete per Boſphorum fugerent, Helleque ſubmerſa eſſet: ACHÆI expiationem loci facturi, Athamantem immolare volebant. At Cytiſſorus Phrixi F. è Colchide veniens, anum liberavit. Ob quam rem indignatus Deus, oraculo juſſit, ut ex Cytiſſori poſteris natu maximo propter injuſtam hanc defenſionem aditu Prytanei (quod Achæi Leitum vocant) interdiceretur: ingreſſus ſertis redimitus mactaretur. *Herod.lib.7.*

AGAMEMNON cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat natum eo anno pulchrius. *Cicero lib. Offic.*

Cùm urſus, Dianæ Munichiæ ſacer, ab Athenienſibus interfectus eſſet, fames ingruit. Itum eſt ad oraculum, quæſitumque malo remedium. Reſpondit Deus, ita demùm finem mali futurum, ſi quis filiam immolaſſet numini. Unus autem repertus eſt EMBARUS, qui amore patriæ, ſuam filiam Dianæ immolavit. *Plutarchus in collectaneis, & Eraſmus in proverbio, Embarus ſum.*

Troja capta, cum Helena non exiſteret, Græci tum demùm habita prioribus verbis fide, Helenam non apud Trojanos, ſed apud Ægyptios eſſe, MENELAUM apud Proteum regem miſerunt. Hic expoſita rei geſtæ veritate, honorificentiſſimo hoſpitio exceptus, Helenam malorum immunem recepit, & inſuper omnes pecunias ſuas. Et cùm hæc aſſecutus eſſet Menelaus, tamen injurius in Ægyptios extitit: nam cùm proficiſci conaretur, nec per ventos poſſet, idque jam diù, rem indignam excogitavit. Sumptis enim duobus pueris, quorundam indigenarum filiis, exſectiſque, haruſpicinam fecit. Quod ubi eum feciſſe reſcitum eſt, inviſus, & exagitatus, fuga in inſulas Africæ objacentes contendit. *Herod.lib.7.* Sed *Plut.* mendacium hoc eſſe ſuſpicatur.

IDOMENEUS Cretenſium rex, Deucalionis filius, Minois nepos, in reditu à Troja cùm naufragus ex voto ſcelerato filium ſibi obvium factum immolare diis vellet: à Cretenſibus pulſus, & patria ejectus eſt. *Alex.ab Alex.lib.3.cap.22. & Volat.lib.16 Anthrop.*

ABSYTHII Pleſtoro Deo immolarunt Oebazarum ducem Perſicum, qui Athenienſibus Cherſoneſum oppugnantibus, cum exercitu noctu in Thraciam aufugerat. *Sabell.lib.2. Enn.3.Herod.lib.9.* qui Oebazum nominat.

XERXES Perſarum Rex contra Græcos profectus, cùm in Thracia ad locum perveniſſet, Novem vias Hedonorum appellatum, totidem illic pueros, ac virgines puellarum indigenarum filios vivos defodit. Perſicum enim, defodere viventes. Nam & Ameſtrim Xerxis uxorem, jam provectæ ætatis, bis ſeptem illuſtrium Perſarum liberos defodiſſe ajunt, referendam pro ſe gratiam Deo, qui ſub terra eſſe fertur. *Herodotus lib.7.* Idem milite detrectante militiam, in duas partes diſſecto, & exercitum traduxit, & humana victima execrabili milites luſtravit, criminaque expiavit. *Alexand.ab Alexand.lib.5.cap.26.*

ARISTOMENES Meſſenius, Jovi, quem Ithomatem appellant, CCC. ſimul homines, in quibus Theopompus fuit, uno ſacrificio mactaſſe proditur. *Pauſanias.*

ARISTODEMUS Meſſeniorum Rex, pro ſalute patriæ adversùs Lacedæmonios, ultrò filiam immolandam obtulit: cùmque eam à ſe vitiatam eſſe teſtaretur Meſſenius quidam civis, pater filia diſſecta mendacii vanitatem detexit. *Pauſanias in Meſſenicis.*

L. ANTONIUS conſul, Peruſia ab Auguſto Cæſare capta, Julio Cæſari CCC. hominum victimis parentat. *Suetonius.*

HELIOGABALUS Imp. Oreſtam civitatem condidit, & humanas ibi hoſtias ſacrificavit: Romæ Heliogabalo Deo ſuo humanis litabat hoſtiis. *Lampridius.*

Ad victoriam acquirendam ſaga quædam MAGNENTIUM juſſit virginem immolare, ejuſque ſanguinem vino miſtum militibus guſtandum præbere: ipſa interim carmina quædam recitante, & dæmonum opem implorante. *Zonaras tom.3. de imperio filiorum Conſtantini.*

HAQUINUS Norvegiorum rex ab Haraldo IV. Danorum rege deficiens, humanæ opis diffidentia, ſuperos inſinuato piaculo propitiandos curavit. Duos ſiquidem præſtantiſſimæ indolis filios hoſtiarum more aris admotos mactavit. Navali pugna commiſſa, Danorum naves repentino nimbo infeſtatæ, mox ſubſequente grandine ſpiculorum inſtar incumbente profligatæ ſunt. *Saxo lib.19. & Crantz. lib.3.cap. Norvegiæ.*

Dolmader GOTHORUM Rex, oraculis jubentibus, à populo Cereri, ſive genero ejus Plutoni immolatus fuit, ſterilitatis depellendæ cauſa. *Jo. Magnus lib.7.cap.21.*

AMURATES VI. Turcarum Rex, occupato Iſthmo in Peloponneſum venit, emitque mancipia numero ſexcenta, quæ ad ſacrificium duxit in honorem patris ſui volens expiare cædem occiſorum. *Chalcondylas lib.7.*

Cæde ſua.

CYANE Syracuſani Gyanippi filia jubente oraculo, partem, ob cujus cum filia congreſſum peſtis immiſſa urbi erat, mactavit diis, & ſe quoque diis obtulit, *Doſitheus lib.3.rer. Sicularum, & Plut.c.38. Paral.*

VENDAM reginam Polonorum Cracoviæ victimas mactaſſe, & ſeipſam diis patriis devoviſſe, ac de ponte in Viſtulam flumen præcipitem dediſſe, *Cromerus lib.2.* ſcribit.

Impudica, Obſcœna.

ISRAELITARUM feminæ colebant Beelphegor, ob obſcœni magnitudinem, quem nos Priapum poſſumus appellare. *Hieron.in Oſeæ cap.4.*

Liberum à liberamento appellatum volunt, quòd mares in coeundo per ejus beneficium emiſſis ſeminibus liberentur. Hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam venerem putant: ob hoc Libero eandem virilem corpori partem in templo poni, femineam Liberæ. Ad hæc addunt mulieres bacchantes attributas Libero, & vinum, propter libidinem concitandam. Sic Bacchanalia apud GRÆCOS, & ROM. ſumma celebrantur inſania. *Auguſtinus lib.6.de Civit. Dei, cap.9.*

Priapum Bacchi ſacris addi, multa ſunt in cauſa. Primùm quod Priapus comes fuit expeditionum Bacchi: deinde quòd ſine beneficio Bacchi frigeat, ideò filius putatur Liberi, & Veneris. Jam & Bacchus ſeminibus præeſſe creditur, quorum membrum, inſtrumentumque inter omnia primùm eſt Priapus, & hac de cauſa hortis præficiebatur, ejuſque ſacra per pagos, villaſque à ruſticis magna lætitia, riſuque celebrata ſunt. Poſtremò Diodorus Oſiridem quem eundem Bacchum fuiſſe ferunt, diſcerptum à Typhone narrat: datamque unicuique eorum, qui cum Typhone conjurarant, partem aliquam, quò & fideliores inter ſe forent, & Oſiridis mors meliùs celaretur: virile membrum cùm nemo vellet recipere, in Nilum eſt abjectum. Poſteà Iſis mariti necem ulta, membra omnia ex conjuratis recuperavit: ac ubi deeſſe mentulam intellexit, imaginem ejus ſacravit, & ad ſuam conſolationem majore habuit honore, quàm reliquas partes: ceremoniaſque, & ſacra illi inſtituit, phallumque dixit, cui primùm initiabantur futuri ſacerdotes. *L.Vives in lib.7.Auguſt.de Civ.Dei, cap.21.*

Quædam quæ in Eleuſiniis ſacris religioſis illis, quæ ATHENIS celebrabantur, fiebant, exponit *Tertullianus in initio libri adversùs Valentinianos.* Quòd tacent, inquit, pudor eſt. Idcircò & aditum priùs cruciant, diutiùs initiant, quàm conſignant, cùm & portas ante quinquennium inſtituunt. ut opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent. Sequitur jam ſilentii officium, attende: cuſtoditur, quod tardè invenitur. Cæterùm tot adytis divinitas, tot ſiparia portarum, totum ſignaculum linguæ: ſimulachrum membri virilis revelatur. In Cereris feſto muliebrem pectinem, divino honore dignum mulieres initiatæ habebant, ac cantabant ei Julum. *Theod.lib.3.de Diis, & l.4. de Mundo, & materia.*

In ITALIÆ compitis M. Varro quædam dicit ſacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur: non ſaltem aliquantum verecundiore ſecreto, ſed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies feſtos cum honore magno ploſtellis impoſitum, priùs per rura in compitis, & uſque in urbem poſteà vectabatur. In oppido LAVINIO unus Libero totus menſis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitioſiſſimis utebantur, donec virile membrum per forum tranſuectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret. Cui membro inhoneſto matrem familias honeſtiſſimam palàm coronam neceſſe erat imponere. Sed videlicèt Liber Deus placandus fuerat pro eventibus ſeminum: ſic ab agris faſcinatio repellenda, ut matrona hoc facere cogeretur in publico, quod nec meretrici, ſi matronæ ſpectarent, permitti debuit in Theatro. *Auguſt.lib.7. de Civitate Dei, cap.21.*

Floralia à Flora ſumpſere nomen, cui ut arbores affatim efforeſcerent, ad juſtamque magnitudinem fructus accederent, quarto Calendas Maii, oraculo moniti ſacra conſtituerunt: namque hæc tempora frugibus metuenda ſunt. In cujus feſtis diebus feminas, quæ vulgato corpore quæſtum faciunt, denudari, & pudendis, obſceniſque invelatis, per luxum, & laſciviã currere, impudicos jocos agere ſervatum eſt: quibus etiam ædiles cicer, fabas, & miſſilia plebi ſpargere aſſueverant, leporeſque, & capreas, aliaque mitia animalia ludis admittere. Eas in vico patricio, aut proximo celebrabant, noctuque accenſis facibus, cum multa obſcenitate verborum per urbem ibant, & ad tubæ ſonitum conveniebant. Flora nobile ſcortum, cùm præpotens eſſet, & divitiis afflueret, POPULUM Rom. morte obita hæredem fecit; pecuniamque annuam ludis Floralibus exhiberi voluit: quorum inſtar ludorum Anthiſteria apud Athenienſes ſimili licentia fuere. *Alex.lib.6.cap.8.*

Sordida.

KYRGESSI Tartari catervatim in campis degunt, habentque ritum gentilem hujuſmodi. Sacrificus ipſorum, quo tempore rem divinam peragit, tunc ſanguinem, lac, & fimum jumentorum, terramque ſumit, commixtioneque ſimul facta in vas quoddam infundit, & unà cum hoc arborem aſcendit, ad populumque circumſtantem concionatur: concioneque peracta, in ſtultam plebeculam, prædictam commixtionem ſpargit, populus verò in terram pronus provolvitur, & aſperſiunculam hanc pro Deo colit, firmèque credit nihil eſſe perinde ſalutare humano generi, ac terram, genus, & armenta. *Alex. Guagninus in Tartaria.*

FORMÆ. SACRA SUPERSTITIOSE OBITA.

Supplicando, Orando.

☞ *Vide Tit. Supplicationes ſuperſtitioſæ, ſuprà.*

ROMÆ ei, quæ Geneta Mana dicitur, carnem immolabant, imprecabanturque, ne ullus dominatus evaderet bonus. An quia dæmon eſt Geneta, quæ fœtus, & puerperia procuret: Siquidem fluxionem quandam ſignificat hoc nomen, & generationem, aut manantem generationem. Quomodo igitur Hecatæ Græci, ita Romani Genetæ Manæ, carnem pro dominatis immolant. Argivos narrat Socrates, Ilithyæ victimam facilis partus gratia carnem cædere. Quantum ad votum, utrum id non adversùs homines domi natos, verùm adverſus canes eſt, ne quis exiſtat bonus? Acerbos enim, & truces ſint oportet canes. An quòd placidi, & boni dicantur morientes, ænigmate per exordium precantur, ne qui ex domeſticis emoriatur? Sic etiam Ariſtoteles in Arcadum cum Lacedæmoniis fœdere relatum oſtendit, ut ne quem Tegeatarum Spartanis ſociatorum bonum facerent, id eſt, interficerent. *Plut.in Quæſt. Rom.*

Diſputando.

ATTICIS in more eſt, ut cùm occiſo bove reliqua omnis à cæde libera pronuncient, ſingulis ordine judicatis, ſolùm enſem condemnent, & dicant illum cædis auctorem extitiſſe ejus diei, in quo hæc patrant, feſtum vocant Diipolia, & Buphonia. *Ælian.lib.8.de Var.hiſt. & Pauſanias lib.1.*

Maledicendo.

ÆGYPTII quotannis in honorem Dianæ commeant in urbem Bubaſti. Navigant viri pariter, & mulieres, magna in ſingulis navibus utrorumque multitudo. Inter navigandum aſſiduè mulieres aliquot crepitacula tenentes plaudunt, viri tibiis

tibiis canunt: cæteri, cæteræque modulantur, manuſque com-A plodunt. Ita navigando, ut ad quamque urbem perveniunt, appulſa ad terram navi, mulierum quidem aliæ ea, quæ dixi, faciunt: aliæ verò compellantes ejus urbis fœminas ingerunt probra: aliæ ſaltant, aliæ ſurgentes retrahunt illas. Talia ad ſingulas civitates flumen accolentes agunt. *Herod.l.2.*

Apud LINDUM, quod eſt oppidum Rhodi inſulæ, Herculis ſacra ſunt, quorum à cæteris longè diverſus eſt ritus; ſiquidem non ἀφημία, ut Græci vocant, ſed maledictis, & execratione celebrantur, eaque pro violatis habet, ſi quando inter ſolemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cujus rei hæc ratio redditur, ſi tamen ulla eſſe in rebus vaniſſimis poteſt. Hercules cùm eò delatus eſſet, famemque pateretur, aratorem quendam aſpexit operantem, ab eoque petere cœpit, ut ſibi unum bovem venderet. Enimverò ille negavit fieri poſſe, quia ſpes ſua omnis colendæ terræ duobus illis juvencis niteretur. Hercules ſolita violentia uſus, quia unum accipere non potuit, utrumque ſuſtulit. At ille infelix, cum boves ſuos mactari videret, injuriam ſuam maledictis ultus eſt. Quod homini eleganti, & urbano graviſſimum fuit. Nam dum B comitibus ſuis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum ſibi amariſſimè convitiantem cum riſu, & cachinnis audiebat. Sed poſtquam Herculi divinos honores ob admirationem virtuti deferri placuit à civibus, ei ara poſita eſt, quam de facto βούζυγον; ideſt, bovis jugum nominarunt, ad quam duo juncti boves immolarentur, ſicut illi, quos abſtulerat aratori, cumque ipſum ſibi conſtituit ſacerdotem: ac præcepit, iiſdem maledictis ſemper in celebrandis ſacrificiis uteretur, quòd negaret ſe unquam epulatum jucundiùs. *Lactantius lib.1. de Inſtit.relig.Chriſti.*

Silentio, Quiete.

In deorum ſacrificiis olim taciturnitate, ac ſilentio opus fuit, & ut initiatis eſſent animis. Si enim opus facientem ſacerdos inter ſacra videre contigiſſet, temerari, & pollui putabatur. Ideò ei cuſtos dabatur, qui ſacra inſpiceret: & alter, qui linguis favere juberet. Propterea etiam & mali ominis verba vitabantur. Hinc Servius libro quarto: Mactat, ait, verbum ſacrorum fuiſſe κατ' ἀφημίσμον, id eſt, per bonum omen dictum, ut adolere. Nam Mactare propriè eſt, magis augere. *Virgilius* —— *mactant lectas de more bidentes.*

C Quoties enim aut thus, aut vinum ſuper victimam fundebatur, dicebant, Mactatus eſt taurus, thure, vel vino: hoc eſt, cumulata eſt hoſtia, & magis aucta: id quod & Iſidorus libro decimo ſcriptum reliquit. *Gyraldus lib.17.hiſt. Deorum gentium.*

Luctu.

Lacones per trium dierum ſpatium HYACINTHIA, hoc eſt, Hyacinthi ſacrificium celebrant, qui ob dolorem, quem ex Hyacinthi morte Apollo cepit, neque coronantur in cœnis, neque panem inferunt, ſed bellaria tantùm, quæque his ſunt ſimilia apponunt. Neque pæana ad deum canunt, neque ſimile quippiam introducunt, ſicuti in aliis ſolent ſacrificiis, ſed magna cum moleſtia cœnantes diſcedunt. Medio autem trium dierum die varium ſpectaculum celebratur. *Athen.l.4. cap.4.ex Polycrate in Laconicis.*

THESEUS priuſquam veniret in Atticam, inſtituit ſacra quædam, quæ ludis, ac lætitia peragerentur: quædam contrà, quæ mœrore, luctùque. Cæterùm cùm appuliſſet in Atticam, quoniam multos reperit ſquallidos, ac mœſtos ob mortem regis Ægei, qui deſperato filii reditu, præ dolore ſemet è ſaxo præ-D cipitem dedit: multos contrà lætitia geſtientes ob filii reditum: inſtitutum eſt, ut in OSCOPHORIORUM feſto, in honorem Minervæ Sciradis inſtituto, ἀπὸ τῶν ὄσχων, à palmitibus cum racemis, quos in honorem Liberi, & Ariadnæ geſtant, non nuncius ipſe, ſed caduceum coronaretur: deinde, qui ſacris interſunt, emitterent has voces, ἐλελεῦ Eja heu: quarum prior gratulationis eſt ob felicem reditum, & in bellicis pæanibus cani ſolet (quod liquet ex Ariſtophanis Pace, ubi crebrò repetuntur illa: ἀλλὰ ἐλελεῦ, ἰὴ, ἰὴ) altera luctus eſt ob mortem Ægei. Unde & αἰαῖ dictus Græcis, & αἰάζειν. Hæc videlicet eſt imago vitæ mortalium. *Plut.in vita Theſei.*

Adonium cùm celebrarent ATHENIS mulieres, paſſim urbe tota excitabantur idola, in quorum ambitu etiam viſebantur ſepulchra, audiebanturque muliebres planctus. Quare ſub claſſis profectionem contingente, Siculi belli exitialem civitati calamitatem conjectarunt nonnulli. *Cælius lib.12. c.1. Antiq.Lect.*

Convivando.

E ÆGYPTII in honorem Dianæ quotannis conveniunt ad urbem, diemque feſtum celebrant magnis hoſtiis offerendis. Quò in feſto plus vini abſumitur, quam toto reliquo anni tempore. Commeant illuc (ut indigenæ ajunt) virorum, ac mulierum, præter pueros, ad ſeptingenta millia. *Herod.l.2.*

RHODIENSES Lindiæ Minervæ ſacrificantes, dies aliquot apud aram deæ convivia prorogabant, atque inibi perpetuò manebant. Cùmque illis non liceret matulam in ſacrificium inferre, ac ſuper hac re Deum conſuluiſſent, atque ut inferrent, reſpondiſſe: illi rurſus ambigere cœperunt, utrùm æream, an teſtaceam inferre deberent: ac denuò ſuper hoc adeuntibus oraculum, indignatus Deus, neutram reſpondit. Unde proverbium, Rhodiorum oraculum de re minuta curioſè inveſtigare. *Eraſmus ex Diogeniano.*

ANTIQUIS religioſum erat, ex iis, quæ laribus immolabantur, aliquid foras efferre. Huc alluſit *Ariſtophanes in Pluto*: apud quem Carion Mercurio obſecranti, ut aliquid ſibi de ſacrificio, quod intus agebatur, impertiant: ἀλλ' inquit, κυφοσία, id eſt, Efferre nequaquam licet. Item in eadem fabula mulieri F volenti pro foribus ſpargere bellaria:

Ἔνδον γε, inquit, παρὰ τῷ ὁστίαν, ὥσπερ νόμος:
Οὐδὲν ἐκφέρειν πρεπῶδές ἐστιν ἀλλὰ εἰσφέρειν. id eſt.
Intus profectò, ut moris eſt, apud Larem:
Nam nefas efferre quicquam, inferre, ſed decet magis.

Eraſmus in Adag.

In DELPHICIS ſacris, is, qui immolarat victimam, ea veſcebatur. Contrà fiebat his ſacris, quæ Hecatæ inferebantur, ex quibus nihil redibat ad eum, qui offerebat, præter fumum, & tumultum. Olim in triviis venerabantur Hecatem, quòd eadem tribus nominibus appelletur, Luna, Artemis, & Hecate. Cæterùm ſub novilunium divites mittebant cœnam veſperè, veluti cœnam Hecate in triviis. Pauperes autem eſurientes diripiebant, ac devorabant, quæ erant appoſita, dicentes, quòd Hecate comediſſet. *Plut.in Sympoſiacis.* De ea ſic *Ariſtophanes in Pluto* inquit:

Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστι τοῦτο πύθεσθαι,
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον, φησὶ γὰρ αὕτη
Τοὺς μὲν ἔχοντας κ' πλουτοῦντας δεῖπνον, κατὰ μῆνα προσάγειν,
Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν, πρὶν καταθεῖναι. id eſt.
Hoc ex Hecata, ſi vis, didiciſſe licebit,
Hos quibus eſt res, quoq; benignam menſe uno ponere cœnam, G
Cæterùm egenos hanc prædari priùs, ac deponere poſſunt.

THYSRTÆ diis oſſa ſacrificant, ipſi veſcuntur carnibus: atque hi profectò plurimùm ſapiunt, mea quidem ſententia. *Eraſmus in Adagiis.*

Saltando.

In DELO nullum ſacrum obibant abſque ſaltatione, ac muſica: prodibant autem puerorum chori, tibiis, ac cithara præcinentibus, quibus ſelecti peritiſſimi quique ſaltabant. Unde eorum quoque cantilenæ a ſaltationis uſu dicebantur ὑπορχήματα. *Cœlius Rhod.l.5.c.3.A.L.*

THESEUS, victor Minotauro ſolvens Creta, Delum appulit, ubi rem divinam fecit Apollini, dedicatoque Veneris ſigno quod ab Ariadna acceperat, tripudium ſaltavit cum impuberibus: quod hac etiam memoria ferunt Delios ſervare. Simulacrum hoc anfractuum Labyrinthi, & egreſſuum ad certos modos alternis peragitur gyris. Hoc genus ſaltatus dicitur à Deliis, ut memoriæ prodidit Dicæarchus, Grus Saltavit circum aram Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus ſiniſtris compaſta. *Plut.in Theſeo.* H

Aſcolia, feſtum celebrant ATHENIENSES, quo per caprinos utres, inflatos, & unctos in medio theatro, cùm ridiculi cauſa, cùm delaberentur, ſaliebant, tum in Bacci honorem, quod caper vitibus ſit infeſtos. Quòd ἀσκωλιάζειν dicunt. *Suidas.*

Religioſi TURCARUM feſtivitates quaſdam agunt, vel propter vota populi eis commiſſa, vel ad aſſequendam pluviam, ſerenitatem, victoriam, vel propter prædeceſſorum memoriam. Quæ quidem feſtivitas Machia, ludus autem, quem faciunt, Czamach patria lingua dicitur. Congregantur enim finitimi unius regionis, occidentes (ſi habent) animalia, ſin minùs, ex leguminibus, & oryza cœnam inſtituunt. Refectione peracta, qui primus inter eos eſt, tympano accepto, modulatur, cæteri ſurgentes ordine ludunt, quadam regulata totius corporis agitatione, moribus honeſtis omnium membrorum, & valdè decentibus, ſecundùm modulationem menſuræ inſtrumenti muſici. Tum in modum vertiginis quodam motu velociſſimo, circulati rotatione, ac corporis revolutione (in qua vis ludi A conſiſtit) ita celeriter revolvuntur, ut homo ne ſit, an ſtatua haud facilè diſcernas: oſtendentes ſe in hoc quaſi ſupernaturalem habere corporum agilitatem. Licèt autem quiſpiam eos poſſit in cæteris ludi geſtibus imitari, hanc tamen evolutionis rationem, quantumvis agilis, nemo facilè ſequetur. Finito ludo ſurgunt omnes, & ordine confuſo imprecationis voces pro ſalute eorum, à quibus eleemoſynas acceperunt, emittunt. *Cuſpin.*

Certando, Pugnando.

ÆGYPTII quotannis in urbe Papremi ad cultum Martis conveniunt: hoſtias, & ſacra operantur: ſed quoad Sol inclinet: pauculi ſacerdotes circa ſimulacrum exercentur: plures autem eorum tenentes ligneas clavas, ſtant pro foribus templi: alii è regione plus mille virorum, quo vota exequuntur, cum ſingulis fuſtibus frequentes conſiſtunt: qui pridiè ſimulacrum ex ligneo ſacello deaurato in aliud ſacrum domicilium exportant, paucis illis, qui miniſterio ſimulacri delecti ſunt, trahentibus plauſtrum quatuor rotarum, quo vehitur & ſacellum, & quod intus eſt ſimulacrum. Hos ingredi prohibent B hi, qui in veſtibulo ſtant. At hi, qui vota exequuntur, opitulante Deo, percutiunt hos, atque repellunt. Hic vehemens exiſtit fuſtuaria pugna, mutuò capita ferientium, multique ex vulneribus (ut ego opinor) pereunt, etſi Ægyptii quemquam mori negant. Ajunt autem indigenæ, conventum hunc ideò inſtitutum, quod id templum incolat mater Martis: & ad eam Martem jam adultum, ac virilis ætatis veniſſe, gratia coeundi cum matre: quem materni miniſtri, ut qui eum anteà non cognoviſſent, ingredi ad matrem non permiſerunt, ſed repulerunt. Hunc autem ex alia civitate adductis hominibus, cuſtodes malè mulctaſſe. Et ob hanc rem ajunt, ſolemnem eſſe Martii die illo feſto hanc rixam: & inſtitutum, ne in templo cum feminis coiretur, neve à mulieribus niſi abluti templa adirent. *Herod.l.2.*

AUSES Africæ populi ſunt, quorum virgines anniverſario Minervæ feſto in honorem ipſius deæ, inter ſe bifariam diviſæ præliantur lapidibus, fuſtibuſque: & quæ virgines è vulneribus decedunt, eas falſas virgines appellant: ſed priuſquam à pugnando deſiſtant, hoc faciunt. Quæ virgo in pugna optimam operam navavit, eam ſemper communi conſenſu cæteræ C virgines exornant cùm cætera armatura Græca, tum criſta Corcyntia, & currui impoſitam circa paludem circumferunt. *Herod. lib.4.*

Inſectando, Fugiendo.

Natas ferunt Minyi Leucippen, Arſinoen, & Alcathoen, mente commotas flagraſſe carnium humanarum cupiditate, ac liberos ſuos in ſortem dediſſe. Cùm eveniſſet Leucippæ ſors, ut filium Hippaſum laniandum præberet: fuiſſe earum viros vocatos, quòd lugubri veſte ex mœrore, & luctu uterentur. Pſoloes, Æolæas, Oenoloas. Atque ad hanc uſque memoriam poſteros eorum ORCHOMENII ita nuncupant: fitque alternis annis in feſto, quod Agrionia dicunt, earum fuga, & inſectatio à Liberi patris ſacerdote, qui enſem tenet. Ac jus eſt occupatam interficere, interfecitque noſtræ memoriæ ſacerdos Zoilus. Quæ res parum feliciter eis ceſſit, Sed & Zoilus ex levi ulcuſculo in ægritudinem incidit, marceſcenſque perdiu tandem expiravit: & Orchomenii publicis indiciis damni injuria damnati, & pœnis afflicti, ſacerdotium ex ea gente tranſtulerunt, atque ex omnibus deſignant optimum. *Plutar. in Quæſtionibus Græcis.*

Verberibus, Flagellis.

D ÆGYPTII quotannis in urbe Buſiri ad cultum Iſidis conveniunt, factoque ſacrificio verberantur cuncti, multa ſanè hominum millia: quo autem verberentur, non eſt mihi fas dicere. Sed ex omnibus præcipuè hoc faciunt Cares, qui Ægyptum incolunt: adeò quidem, ut gladiis quoque frontes concidant: atque inde datur intelligi, eos hoſpites eſſe, non Ægyptios. *Herod.lib.2.* Xenophanes phyſicus cùm Ægyptios ſeſe converberantes, & lugentes in ſacris vidiſſent, admonuit, ut ſi deos eſſe crederent, quibus ſacra miniſtrabant, ne lugerent: ſi verò homines, ne ſacrificarent. *Alex.lib.4.cap.17.*

Cùm Pauſanias rex Spartanorum, pauliſper ſemotus à ſtatione militum, rem divinam faceret, Lydi aliquot incurſione facta, ſacrificiorum apparatum diripuerunt: quos ipſe cum comitibus ſuis comprehenſos, quoniam inermes erant, loris cæcidit. In hujus facti memoriam SPARTÆ quotannis ad aram Dianæ Orthiæ puerorum διαμαστίγωσι inſtituere, ut qui plures pertuliſſet flagellorum plagas, victor celebraretur. E *Plut.in Lacon. & in vita Ariſt.* At *Pauſanias in Laconicis* diverſam adfert hujus conſuetudinis cauſam. Cùm Limnates, Cynoſurenſes, & Pitanenſes Dianæ ſacrificarent, in diſſidium venerunt, ex diſſidio ad pugnam, adeò ut multis cadaveribus ara compleretur, reliquos peſtilentia conſumpſit. Hinc proditum eſt oraculum, aram Dianæ humano ſanguine expeditam eſſe. Cùm igitur immolarent, cuicunque ſors obveniſſet, Lycurgus eam mactationem vertit in flagellationem adoleſcentulorum. Ita factum eſt, ut citrà necem hominum, ara ſanguine humano expiaretur.

Lupercalibus nobiles ROMANI juvenes frequentes, & magiſtratus nudi per urbem diſcurrunt, hirſutis ſcuticis obvios per ludum, & jocum cædentes. Multæ quoque principes feminæ ex compoſito offerunt ſe illis, ac manus ferientibus, ſicut in ludo literario, offerunt, creduntque id ad facilè puerperium prægnantibus, & infœcundis proficere ad conceptum. *Plut. in Cæſare, & Romulo.*

Furto.

SAMIIS, cùm rem divinam Mercurio Benefactori faciunt cuilibet furari, & compilari jus eſt. Quòd ex oraculo relicta ea F inſula commigrantes Mycalen, ex latrociniis annos decem ſe toleraverunt: pòſt repetentes inſulam ſuam oppreſſerint Samii hoſtes. *Plut.in Quæſt.Græcis.*

FINIS. CUR. OB
Præteritorum memoriam gratam.

☞ *Vide Tit.Gratitudinis ſuperſtitioſæ, ſupra.*

ARISTOMENES Meſſenius, dux fortiſſimus fecit Jovi ſacrum, quod Hecatonphonia vocant, quaſi Centicidium dicas. Id ſacrum fieri patrio inſtituto traditum ab iis, qui in pugna hoſtes centum occidiſſent. Prima itaque, cùm ad Apri ſepulchrum pugnatum eſt, Hecatonphonia fecit Ariſtomenes: altera, cùm oppreſſos nocturna pugna Corinthios cæcidiſſet. Tertia ab eodem peracta referunt, aliis excurſionibus pari, aut eo majore cæſo hoſtium numero. *Pauſ.in Meſſ.*

Præſentium
Bonorum Perfuitionem.

ANTIQUITUS, ut auctor eſt *Sympoſ.Plut.* inter res ſacras ha- G bebatur & Menſa quotidiana. Proinde cibum ſumpturi diis conſecrabant τὰς ἀπαρχὰς, hoc eſt primitias: ac deinde non indecorè, neque tumultuanter, ſed religione quadam ad convivium accedebant lotis manibus, non aliter quàm ad ſacrum epulum. Qui mos, & hodie durat apud benè moratos Chriſtianos. *Eraſm.in Adag.*

Vinum novum ATHENIS undecima die menſis, quem vocant Pithœgiam, libabant, votis conceptis priùs, ut innoxius, ſalutariſque ipſis foret hujus potionis uſus, precabantur libantes, quam biberent.

Apud BOEOTOS menſis hic Proſtaterius vocatur. Ejus die ut ſolenne eſt, ut fauſto Genio ſacrum faciant, ac tum vinum deguſtent, Favonio jam ſilente. Siquidem hic ventus vinum vappam efficit, movetque. Eum ſi quod effugit, hujus jam duraturam cenſent bonitatem. *Plut l.3.Quæſt.conviv.7.*

MEDITRINALIA ſacra erant deæ Meditrinæ, in quibus novum vinum primùm guſtabant, clamantes alta voce, boni ominis gratia: Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. Hæc ſacra à medendo dicta eſſe, *Varro de Lingua Latina l.2.* exiſtimat. *Plin. & Feſtus.*

Malorum amolitionem.

Cùm ſidus, Canis vocatus, ardore ſuo Cycladas combureret, H diùque ſqualores magni agrorum, ſterilitaſque extitiſſet: qui unam ex illis inſulis, Ceo vocatam, incolebant, admoniti ab oraculo, ARISTEUM Apollinis, ac Licenæ filium accerſierunt è Phthia, qui aſcitis quibuſdam Arcadibus eò ſe contulit, atque illic ſacellum Jovi Icmæi ædificavit, ut imbres in terram effunderentur: necnon Caniculam quoque placavit; legemque fixit, ut Coi quotannis ortum Caniculæ captis armis ſervarent, atque immolarent ipſi hoſtias, unde Eteſiæ ſpirant, quæ æſtivo tempore, maximiſque caloribus terram ſuavi frigore reficiunt: atque ita Græci liberati ſunt magno malo, nec fructus agrorum ſqualoribus interempti ſunt. *Vid.l.19.Var.lect. cap.21.*

VALESIUS, vir locuplex apud Romanos, pro expiandis à peſtilentia filiis, Diti, & Proſerpinæ, oraculi monitu, Tetenti ſacra fecit. Iique cùm liberati eſſent à lue, divinum agnoſcens beneficiũ, hoſtias nigras, quæ antiquitùs Furvæ dicebantur, immola-

molavit. ludoſque, & lectiſternia tribus continuis noctibus fecit. Hinc ludorum Secularium origo apud Romanos. *Valerius Maximus lib.2.cap.1.*

Arnuphis, magus Ægyptius, in eo bello, quod Romani cum Quadis geſſerunt, cùm fieret acerrimus conflictus, atque victoria in utramque ex æquo partem nutare videretur: Mercurium illum, qui eſt in aere, alioſque dæmonas, quibuſdam artibus magicis invocavit: & impetrata ab his horrenda pluvia, Quados deterruit, atque Romanis victoriam peperit. *Dion.Nicæus in Antonio, & Suidas.* Nonnulli hoc Juliano Chaldæo tribuunt.

Futurorum.

Bonorum Conciliationem.

☞ *Huc pertinent ex Tit.Precum quædam.*

Thalysia primitiæ dicebantur, quas ſubvectis jam fructibus ex agris, perſolverent diis, ut denuò vireſcerent, progerminarentque in campis omnia, quod vocant θάλλειν eas rhetorum, plerique etiam ſyncomiſteria à comportatis frugibus nuncuparunt. Agebatur item feſtum tempore eodem Ceteri, ſacrum & Dionyſio, uti Pauſaniæ teſtatum monumentis eſt, dicebatur Haloa, ut putat Philochorus: quia tum in areis præcipuè moras ducant homines, quas dicunt ἅλως. *Cælius lib.12.cap.19.A.L.*

Arpadus rex Hunnorum, filius Almi, inſpecta terra, herbis, aqua, quam attulerat Cuſidus ex Pannonia, quam repetere volebant Scythiæ populi: advocata concione, omnia è ſententia eveniſſe profatur, ex telluris, & herbarum indicio regionis clementiam, & ubertatem auſpicatur. Mox cornu aquam infudit, altaque voce: Mars pater (inquit) tuque parens Hercules, quorum auſpiciis, majorum exemplo, almas tam procul Pannonias petivimus, perpetuas has nobis ſedes concedite, Veſtram hìc gentem ſiſtite, erroribus noſtris finem imponite, Danubiumque patrem nobis perpetuò conciliate. Ita denique veſtris numinibus nobis ſemper adeſte, ne ab infeſtis finitimis obruamur. Immò quando veſtris auſpiciis, ductuque militamus, eas præſtate vires, ut deorum, & hominum propugnatores ubique gentium prædicemur. Hæc præfatus, Marti, & Herculi progenitori Iſtrianam aquam ex more libavit, multaſque victimas patriis diis per ſingula caſtra mactari dixit. Ter ab omnibus feliciter acclamatum. *Bonfin. lib.9. Dec.1.*

Malorum depulſionem.

☞ *Conſule Tit. Superſtitionis circa Monſtra, item Luſtrationum.*

Fama tenet, Helviam virginem Veſtalem, quæ equo vehebatur, fuiſſe de cœlo ictam, ac nudum repertum jacentem equum, nudam etiam illam quaſi de induſtria amota de pudendis tunica, calceis, annulis, & vitta aliò diſiectis ſeorſum à cæteris, atque exerta ex ore lingua. Hic cùm vates fœdam infamiam virginibus Veſtalibus adhærere denunciaſſent, ac pervulgatum iri, contactos etiam eſſe labe aliqua equites: detexit Barbari cujuſdam equeſtri ordine ſervus tres virgines Veſtales, Æmiliam, Liciniam, & Martiam, ſub idem tempus ſtupratas, ac conſuetudinem perdiù habuiſſe cum viris, in quibus erat Butetius Barbarus indicis dominus. Atque in illas quidem compertas animadverſum eſt. Quia verò res atrox habita, viſum eſt Romanis, ut ſacerdotes libros Sibillinos conſulerent. Inventa ferunt oracula, quæ hæc ad Reipublicæ perniciem nunciarent futura, præſcriberentque, ut aliena quædam, & peregrina dæmonia ad procurandum inſtans malum duobus Græcis, & duobus Gallis ſub terram defoſſis propitiarent. *Plut.in Quæſt.Rom.*

Accidentium. Puta

Loci ubi.

Hyperborei ab extremo Aquilone frugum primitias Delon mittebant Apollini, quem præcipuè colunt. Virgines ferebant eas hoſpitiis gentium per annos aliquot venerabiles, donec violata fide, in proximis accolarum finibus deponere ſacra ea inſtituere, hique ad conterminos deferre, atque ita Delon uſque. Mox & hoc ipſum exolevit. *Plin.l.4.c.12.*

Temporis. Quando.

☞ *Vide Tit. Feſta ſuperſtitioſè culta infrà. Illic Tempori ſacra, hìc Sacris tempora ſerviunt.*

Apud Indos erat patrius mos, ut cùm dies primùm augeri incipit, rex cum regio apparatu, & comitatu ad flumen lavaturus accedat, equoſque, & nigros tauros diis immolet. *Alex.ab Alex.lib.4.cap.20.*

Alexander Macedo, manè poſtquam ſurrexiſſet, ante omnia diis ſacrificabat, brevique totum ferè terrarum orbem ſubegit. *Plut.in ejus vita.*

Conſtantiæ.

Irruentibus in Græcos Perſis ad Platæas, quia ſacrificans Pausanias non litabat, imperavit Lacædemoniis, ut poſitis ante pedes clypeis conſiderent quieti, ſibique attenderent, neque ulli hoſtium repugnarent. Tùm alias hoſtias cædit: cùm irruerent equites, jam iterùm quoque accidit, & quiſpiam fuit ex Lacedæmoniis vulneratus. Interim Callicrates quoq; quem in Græcis forma vetuſtiſſima, & proceritate corporis ſupra cæteros memorant fuiſſe, ſagitta ictus, & moribundus: Non lamentor inquit, lethum (quippe eò huc domo veni, pro Græcia ut occumberem) ſed quia nulla re perpetrata emorior: Atq; erat malum illud quidem grave, & Spartiatarum inſignis tolerantia, neque enim impetum hoſtium propulſabant, ſed tempus à Deo, atque duce opperientes, ſuſtinebant in ordinibus ſuis vulnerari, & concidere. Nonnulli ſunt auctores, Pauſaniæ paululùm extrà aciem operanti ſacris, & pacem Deum expoſcenti, Lydos aliquos inferentes ſeſe repentè eripuiſſe, atque diſſipaviſſe ſacra; Pauſaniam verò, ejuſque comites, quibus arma ad manum non erant, virgis, & flagellis illos cæcidiſſe: quare etiam hac memoria illius incurſus celebrari Spartæ ſimulacra plagis circa aram adoleſcentium, & Lydorum inde pompa. His rebus Pauſanias anxius, alias ex aliis hoſtias vate cędente, atque lacrymis oppletus convertit ſe ad fanum Junonis, manuſque ad cœlum tendens, precatus eſt Cithæroniam Junonem, cæteroſque Deos, qui plataicam terram incolunt: Sin in fatis non foret, ut potirentur Græci victoria, ſaltem ut re alia patrata memorabili caderent: ubi hoſtibus re oſtendiſſent, viris fortibus eos, & bellicoſis arma intuliſſe. Ita Pauſania deos obteſtante, unà cum precibus apparuerunt læta exta, & victoriam aruſpices nunciaverunt: datòque ſigno omnes cum hoſtibus conſeruerunt. *Plut.in Ariſtide.*

Numa rex Roman. ut ferunt, adeò fuit divina fiducia fretus, ut cùm ei aliquando adeſſe hoſtes annunciatum eſſet, arridens dixerit: Ego verò ſacra facio. *Plut.in Numa.*

M.Horatius Collega P. Val. Poplicolæ conſuli datus, Capitolii dedicationem ſortitus, ubi idib. Septemb. ante templum dedicaturus ſtetit (etenim opus jam confectum erat) fraude, ut creditur, collegæ, qui eum quoque tumulum cæteris honoribus cumulari voluiſſet, à M. Valerio conſulis fratre, cùm jam poſtes teneret, monitus eſt, ne pergeret funeſta domo id agere: filium in caſtris periiſſe. Tum ille, incertum, quia non crediderit, in ea potiùs fuerit conſtantia, ut à primo tempore nequiverit averti: Ite, inquit, & cadaver afferte: nam ego luctum iſtum, & fletum non admitto, ſicque carmen, quod ab initio orſus erat, executus, templum dedicavit. *Sabel.lib.7. Enn.2.ex Livii lib.2.*

C. Fabius Dorſuo, Gallis Capitolium obſidentibus ne ſtatutum Fabiæ gentis ſacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus, humeriſque ſacra gerens, per medias hoſtium ſtationes in Quirinalem collem pervenit: ubi omnibus ſolemni more peractis, in Capitolium poſt divinam venerationem, victricium armorum perinde ac victor, rediit: incertum, Gallis miraculo rei attonitis, in religione motis, cujus gens ipſa haudquaquam negligens eſſet. *Valer.lib.1.cap.1. & Livius lib.5. & Sabell.lib.1.Enn.4.*

Cùm duce Hamilcare Hannonis F. Carthaginenſium rege, ccc. millia Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Ligyorum, Eliſycorum, Sardorum, & Cyniorum in Siciliam penetraſſent, & Barbari cum Græcis in Sicilia ab aurora ad crepuſculum ſine intermiſſione pugnarent: intereà Hamilcar in caſtris permanens ſacrificavit, ſolida corpora in pyram aggerens. Sed conſpectis ſuis in fugam verſis, ut erat in faciendis ſacris occupatus, ſeſe in ignem immiſit. Et poſt Carthaginenſes ſacrificare cœperunt, extructis monumentis, cùm alibi in omnibus ſuis coloniis, tum præcipuè in ipſa Carthagine. *Herod.l.7.*

SACRA SUPERSTITIOSE

Neglecta.

Demonax philoſophus Adriani tempore, adduci nunquam potuit, ut ad Eleuſinia myſteria accederet. Propterea accuſatus à populo, ut religionis contemptor, factum excuſavit: teſtatus ea ſacra meritò eſſe ſibi ſuſpecta, quæ in occulto fierent. Nam ſi bona eſſent, dicebat, ea manifeſtari oportere, ſi mala, debere refugi. *Volat.lib.15.Androp.*

SACRA

SACRA SUPERSTITIOSE

Translata.

Claudius Cæſar ſacra Eleuſina etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt. *Suetonius.*

SACRA SUPERSTITIOSE

Instaurata.

Victi ab Agathocle in Africa Carthaginenses, cùm divinitus ſibi hanc cladem immiſſam putarent, ad omne genus ſupplicationum converſi ſunt: & maximè ſibi infenſum Herculem, qui erat apud Tyrios ſui generis auctores, rati magnam pecuniarum vim, & precioſiſſimorum donariorum in Tyrum miſerunt. Cùm eſſent enim orti ex ea colonia, anteà ſoliti erant deo decimas omnium redditu um mittere. Sed poſteà magnas opes nacti, & proventibus non contemnendis aucti, parum omninò mittebant, numen parvi facientes. At poſt calamitatem illam acceptam omnes ad pœnitentiam converſi, omnium Tyriorum deorum memores erant, Cauſabantur prætereà Saturnum ipſis adverſari, quoniam cum ſuperioribus temporibus ſoliti eſſent immolare huic deo filiorum præſtantiſſimos: poſteà clam emptos pueros, eoſque nutritos, ad ſacrificium mittebant. Et facta inquiſitione inventi ſunt quidam ex immolatis ſubdititii. Cùm autem errata corrigere cuperent, delectos ducentos primariorum hominum filios publicè immolarunt. Alii calumniis gravati, ſponte ſua ſeſe obtulerunt, quorum erant non pauciores ducentis. *Diodorus lib.* 20.

SACRORUM LEGITIMORUM

Abusus.

In conſilio Salegunſtadienſi, *cap.6.* ſcribitur: Conqueſtum eſt etiam in concilio ſancto de quibuſdam Presbyteris ſtultiſſimis, ut quando incendium vident, corporale Dominico corpore conſecratum, ad extinguendum incendium temeraria pręſumptione in ignem proiiciant, ideòque decretum eſt ſub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

Pastor quidam Vandalus apud Obotritos ſacra die Paſchæ de manu ſacerdotis accepto ſacramento, indignum ratus in ventrem demittere, aſſervavit in ore: & clàm egreſſus eccleſiam, pedem arripuit, eique fiſſo ſacramentum immiſit arbitratus gregem ſuum proſperari patrocinio rei ſacratiſſimæ, Viſæ ſunt noctibus ardere candelæ, quacunque parte domus conderetur. Id diù præter uxorem novit nemo: innotuit inde cæteris, pervenit ad ſacerdotem, inde ad Pontificem. Re comperta ſummo honore venerabile Chriſti ſacramentum delatum fuit in monaſterium vicinum, Dobran dictum, circa annum MCCXXVI. ibique diù magno populorum concurſu inclaruere varia mirabilia *Albert.Crantzius lib.6.Vand.6.c.24.*

SACRA SUPERSTITIOSE

Occultata.

Aristomenes rex patriæ excidium prævidens, ſacra Meſſeniorum occulta defodit, ne in Spartanorum venirent poteſtatem. Lyci enim Pandionis filii vaticiniis prædictum fuerat, ſi ſacra, quæ habebant Meſſenii operta, abolerentur, funditus in poſterum omne tempus Meſſenem occaſuram: ſin conſervata illa fuiſſent, redivivum olim imperium ex ipſis ruinis erupturum. *Pauſanias in Meſſenicis.*

LUDORUM SACRORUM CULTUS

Superstitiosus.

☞ *De Ludis ſacris ex profeſſo agemus alio Loco.*

INSTITUTIO.

Theseum victorem è creta in Delum appuliſſe ajunt, & ludos ibidem edidiſſe, ac victores ab illo tunc primum palmæ ramis donatos, *Plut.in Theſeo.*

Apollinares ludi victoriæ cauſa inſtituti ſunt à Romanis bello Punico, ex libris Sibyllinis, ſuadente Cornelio Ruſo Decemviro, qui proptereà Sybylla cognominatus eſt, & poſteà corrupto nomine primus Sylla cœpit vocari. *Macrob.lib.1.Saturnal.17.*

Augustus Cæſar in ſinu Ambracio Nicopolim urbem, victo Marco Antonio, ædificavit. Eſt ibi lucus cum gymnaſio, ſtadioque ad quinquennale ludorum certamen apparatus, ſacerque luco ſupernè tumulus imminet dedicatus Apollini. Inſtar autem Olympiorum ludi Actii deſignantur. Actio Apollini conſecrati, eorum curæ Lacedæmonii, præfecti ſunt. Actio quoque ipſi deo prius, & à finitimis agebantur, & certantibus coronæ proponebantur. At Auguſtus honorificentius edidit. *Strabo lib.7.*

Ludos plerunque Imperatores Romani voverunt ex anno imperii computatos, ut ſcilicet totidem dierum ludi fierent, quot illi annis imperio præfuiſſent. Ideò Galienus Cæſar devictis Syris in Aſia, decennalia vota celebravit. Theodosius vicennalia, & tricennalia. *Alexand.lib.2.cap.22.*

INSTAURATIO.

Theseus cùm Athenienſem populum, qui anteà diſperſus, vicatim habitabat, in unam civitatem coegiſſet, ludi (qui prius Athenæa dicebantur) apparatiùs facti, ab Athenienſium communione Panathenæa fuere nuncupati. *Pauſ. in Arcad.* Hæc ſingulis luſtris fiebant, in quibus ſolemni carmine per tibicinem, & præconem ludicrum indicebatur. Nudi ad certandum ingrediebantur athletæ, neque quempiam, cum quo certarent, eligebant, ſed cum primo prodeunte congrediebantur: Accenſis autem facibus celebrabantur: olei ramum velut amplum pręmium victor accipiebat. *Alex.lib.6.cap.19.*

CELEBRATIO.

Scribit Diodorus, Alexandrum Macedonem in Perſas bellum moturum, Jovi, & Muſis ſcenica celebraſſe certamina, quæ inſtituiſſet Archelaus rex, in diem nonum celebritate producta, quòd Muſarum ſingulis ſuus foret deſtinatus dies. *Cælius lib.20. cap.10. A.L.*

Quinquatria magnificè Domitianus Imperator celebravit, in quibus certamina poetarum, oratorum, gladiatorumque, quotannis ferè exhibebat in Albano. Nam eum locum ſub Albano monte, ex quo ita cognominatus eſt, tanquam arcem aliquam elegerat. *Xiphilinus in Domitiano.*

SIGNORUM, IMAGINUM

Superstitio. Superstitiose

ACQUISITA, SIUE JAM

Facta.

Qui apud Græcos, id eſt, Ethnicos ſimulacra inſtituunt, quò terrorem hominibus incutiant ſtatuas διοπετῆ, id eſt à Jove miſſas eſſe, cum humano artificio, & ſumptu præſtantiores dicunt: eamque famam ſpargunt, ſtatuariis vel relegatis, vel occiſis, ne eas manu factas dicant. Eadem ratione urbem Epheſiorum etiam eſſe deceptam, vel Alexandrinum ſimulacrum argumento eſſe poteſt. Ptolemæus enim artificibus ad conficiendam Dianæ ſtatuam convocatis, opere perfecto, magna ſpelunca effoſſa, doloque occultato, ibi eoſdem cœnare juſſit. Qua in cœna ruina oppreſſi perierunt, dignam laboris ſui mercedem conſecuti. *Suidas in voce διοπετής.*

Invento.

Joannes Antiochenus miſſum è cœlo Palladium prodit, ac philoſophum Aſium ex horæ notatione, quam horoſcopum vocant, mathematicè prædixiſſe, nunquam civitatem eam in prædam ceſſuram, ubi id ſervaretur intactum καὶ ἄσυλον. Traditum ab Appollodoro eſt; Ilum poſteàquam Ilium condidiſſet, bovem inſequutum optaſſe, ac deos comprecatum, ut ſignum obiiceretur aliquod: tuncque oblatum eſt ei Palladium, quod trium fuerit cubitorum, dextra tenens haſtam, colum læva cum fuſo. *Cælius lib.38.cap.9.A.L.*

Metymnæi aliquando piſcatores retibus è mari extraxerunt ex oleæ ligno fabricatum caput, divina illud quidem facie, ſed peregrina, atque omninò diverſam, quàm Græcorum dii eſſe conſueverint. Conſulentibus Methymnæis, cujus ea vel deorum, vel heroum imago eſſet; reſponſum eſt, Bacchum Cephallenem venerarentur. Eductam igitur à mari ligneam effigiem ſacris faciundis, & votis nuncupandis coluerunt. Pro ea verò Delphos æneam miſere. *Pauſ. in Phocicis.*

Herculis ſimulacrum novi incertum è Tyro mari delatum, incerta de cauſa, ut memorant Erythæi Jones. Ea navis primùm ad Heram, quæ è portu Erythræorum Chion ſolventibus propèmodum media eſt, delata, cùm jam terram attigiſſet, conſpecto ſigno, ſummis viribus Jones, & Chii certatim ad ſe illud pertrahere conati fuere. Erythræus poſtremò quidam Phormio, cui è mari, & piſcatu victus fuerat, ſed ex morbo erat oculis captus, quod per ſomnum moneri ſibi viſus fuerat expoſuit: Oportere Erythræorum feminas comas tondere: è capillo earum ſi viri funes contexuiſſent, non difficulter quò vellent ratem pertracturos. Ei ſomnio ut obtemperarent, cùm cives feminæ in animum ſibi non inducerent è Thracia Mulieres, quæ voluntaria ſervitute, ingenuæ ortu cùm eſſent, victum ſibi apud Erythræos quæritabant, ſe tondendas præbuerunt. Quare jam rate potiti Erythræi edixerunt, ſolis è Thracia mulieribus in Herculis fanum introire ut liceret.

Oſten-

Oſtendunt autem funiculum illum è comis etiam hac ætate, ſe diligenter conſervatum. Et piſcatorem illum oculorum calamitate liberatum, in reliquum omne vitæ tempus oculis probè unum affirmant. *Pauſan. in Achaicis.*

Cloacinæ deæ ſimulacrum inventum eſt à TITO Tatio, qui cum Romulo regnavit, in magna quadam cloaca Romana: cùmque ignoraretur, cujus eſſet effigies, ex loco illi nomen impoſitum eſt, & Cloacina eſt dicta. *Ex Lactantio Lud. Vives in lib. 4. Auguſt. de Civit. Dei, cap. 8.*

DOTE, DONO ACCEPTA.

Chryſas Pallantis filia, cùm Dardano nuberet, pro dote ſecum attulit Palladium, & magnorum deorum ſimulacra. Quibus templa DARDANUS in Samothracia conſtruxit, quæ poſteà ſacra in Ilium ſunt nepotum tempore tranſvecta, accepto oraculo, manſuram urbem, quandiù & in ea Palladium illud: JONES Liberi patris ſignum, in arca clauſum, inque Prædæ Iliacæ diviſione Eurypylo adjudicatum ab Eurypylo ſuſceperunt colendum. Quo facto Eurypylus, qui antea ob reſecatum ſignum inſania punitus fuerat, ab eadem liberatus fuit, & Jones à ſacri infamia, quæ quotannis Dianæ Triclariæ virginem, & puerum immolare cogebantur, abſoluti. *Pauſ. in Achaicis.*

RAPTA.

Palladium fuit ſigillum parvum ligneum, quod regnum Trojanum tueretur. Datum autem eſt Troi regi, condenti urbem, ab Aſio quodam philoſopho, & initiatore. Quam ob rem in Aſii honorem, regionem quæ ſub imperio ejus erat, cùm Epirus priùs diceretur, Aſiam appellavit. Poetæ verò, qui hac de re ſcripſerunt, ex aere dicunt Palladium hoc Troi Phrygum regi eſſe delatum. Hoc DIOMEDES, & ULYSSES, cùm ad Priamum legati eſſent, è templo ſurripuerunt, prodito illo à Theamo Antenoris uxore, quæ erat ſacerdos templi, idque cuſtodiebat. Cognoverant enim ex oraculo, quandiù Palladium Trojæ maneret tandiù incolume fore Phrygum regnum. Magna igitur continuò inter Ajacem, & Ulyſſem orta eſt contentio, uter id in patriam deportaret, aliis regibus, & ducibus hac de re judicantibus. Multis igitur rationibus adductis, & veſperè facto, uiſum eſt illis deponere ſimulacrum apud Diomedem, dum diluxiſſet. Quod cùm eſſet factum, inventus eſt Ajax noctu clàm interfectus: ſuſpicabatur autem, ab Ulyſſe dolo fuiſſe occiſum. Atque ita altercantes, oram ſolverunt. Clytodemus ait, cùm Agamemnon cum Palladio Athenas delatus eſſet. DEMOPHONTEM id rapuiſſe, & multos perſequentium occidiſſe. Agamemnone autem graviter id ferente cauſam dixiſſe: Quinquaginta Athenienſibus, ac totidem Argivis judicantibus, qui ἐφέται, id eſt, ſive arbitri, ſive commiſſarii dicti ſint: quòd ab utriſque controverſia illis diſceptanda permiſſa eſſet. *Suidas, & Auguſt. lib. 1. cap. 2. de Civit. Dei.*

Cùm Græcis ab Ilii expugnatione redeuntibus, ad Caphareum fractis navibus magna ipſorum pars inter ſcopulos periſſet. ARGIVI, qui è naufragio terram prenſare potuerunt, frigore propè, & fame conſumpti precari dicuntur, ut quis deorum ſe in tantis rerum difficultatibus ſalvos vellet. Cùm itaque proceſſiſſent, ſpecum Liberi patris animadvertere, & dei in eo ſignum. In eum verò ſpecum multæ ſe capræ frigus fugientes gregatim immiſerant, quibus mactatis, carnibus famem, pellibus frigus repulerunt: Deinde verò cùm hyems remiſiſſet fabricatis navibus in patriam revecti, ſignum, quod è ſpecu aſportarunt, magnifico templo ornarunt. *Pauſ. in Corinth.*

Ex Diomedis ſobole ERGIÆUS unus Temeni impulſu depeculatus eſt Argis Palladium, conſcio, & adjutore ſacrilegii Leagaro. Fuit hic ex Temeni familiaribus unus. Poſt infeſtus Temeno LEAGER profugit Lacedæmonem, reportans Palladium. Latè id reges acceperunt, illudque locaverunt juxta Leucipidarum ædem, ac miſſis Delphos legatis, conſuluerunt Apollinem de eo ſervando, & cuſtodiendo. Ut reſpondit Apollo, unum ut ex iis, qui id ſurripuerant, cuſtodem facerent, ædificaverunt ibi Ulyſſis heroum; nam alioqui etiam affinem eſſe illum heroa civitati ob Penelopes nuptias putabant. *Plut. in Quæſt. Græcis.*

ORESTES cum Iphigentia Tauricæ Dianæ ſimulachrum clàm àbſtulit.

GNAGEUS Lacon in Cretam venum ſub corona miſſus, ſervivit ibi, ubi Dianæ fanum eſt: Dianæ ſacerdotem in ſui amorem pellexit, & deæ ſigno ablato aufugit, illudque in patriam reportavit. Gnagia itaque Diana dicta eſt. *Pauſanias in Lacon.*

Cùm ÆGINETÆ Epidauriorum regionem invaſiſſent, & ſimulacra Damiæ, & Auxeſiæ oleagina aſportaſſent, quarum cauſa quotannis Epidaurii ſacra Erectheo Athenas ferre cogebantur (ea namque lege olearum poteſtatem Epidauriis conceſſerant) Epidaurii pactum ſolvere renuebant. Athenienſes igitur ad ſtatuas repetendas triremem in Ægiam miſerunt, ut ſimulacra tanquam è ſuis lignis facta aſportaret. Conati ſunt igitur circundatis funibus ſtatuas in navim vi pertrahere. Sed dum trahunt, ſtatuæ in genua procubuere, & ex eo tempore ſemper eo geſtu permanſerunt. Interea cum tonitru terræ motus extitit, & remiges in amentiam verſi, mutuis cecidere vulneribus, uno duntaxat cladis nuncio relicto, qui ad Phalerum ſe recepit. *Herod. lib. 5.*

L. SYLLA Alacomeniis Bœotis priſcum minervæ ſignum ex ebore eripuit. Idem Helicone monte Bœotiæ erecto ſtatu Liberi patris ſimulachrum dedicavit omnium Myronis operum (Erechtheo, qui Athenis eſt excepto) longè, quod ſpectetur digniſſimum, cum illud Oergomeniis eripuiſſet. *Pauſanias in Bœoticis.* Quoties prelium committere deſtinabat, parvum Apollinis ſignum Delphis ſublatum in conſpectu militum complexus orabat, uti promiſſa maturaret. *Plut. in Sylla, Oroſius lib. 5. Valer. lib. 1. cap. 3.*

Theſpienſibus ex ære Cupidinem elaboravit Lyſippus, & ante eum è marmore Pentilico Praxiteles. Primùm omnium è ſede ſua Cupidinem hunc Theſpienſem amotum à CAJO Imperatore tradunt: Theſpienſibus deinde remiſſum à Claudio: NERO iterùm Romam reportavit: ibi eſt igne conſumptus. Eorum verò qui ejus numen violaverant, Cajus à milite Chærea, cui teſſeram obſcœnam eandem ſemper per ludibrium dare ſolebat, eſt occiſus: Neronis & in matrem, & in uxores crudelitas, atque impuri, ac nefarii amores, ſatis vulgati ſunt. *Pauſanias in Bœoticis.*

DEDICATA. RESPECTU MATERIÆ, E QUA FIUNT.

Magnii dii apud VETERES ebore, auro, & argento ſculpebantur. At plebeii illi, & minutuli, quod genus ſunt Silenus, & Priapus, qualibet materia fingebantur, ligno nonnunquam, & luto, quo videlicet argento finguntur & ollæ. Unde Ollaris deus non ineptè quadrabit in eum, qui ſtudeat haberi inter aulicos optimates, ſed nec opibus pollens, nec auctoritate valens apud principem. *Eraſmus in Adag.*

In Elide ultra Hermum fluvium, ad Temnum oppidum Veneris ſignum ſpectatur è virente à radice ſua myrto, quod faciendum curaſſe PELOPEM ferunt, cùm ut deam coleret, tum verò ut Hippodamiæ nuptiarum ſe compotem faceret. *Pauſanias lib. 5.*

EPIDAURII ob ſterilitatem agrorum Delphos miſerant. Reſpondit Pythia; Damiæ, & Auxeſiæ ſimulacra ex ligno oleagino facerent. Epidaurii Athenienſes rogarunt, ut permitterent ſibi oleam incidere, vel quia eo tempore ſola Attica oleas habebat, vel quia oleæ Atticæ ſacratiſſimæ eſſent. Athenienſes ea lege conceſſerunt: ut quotannis ſacra Minervæ urbanæ, & Erechtheo offerent. Quo facto, fertilis Epidauriorum extitit regio. *Herod. lib. 5.*

PLATÆENSES feſtum Dædalorum ſeptimo quoque anno celebrant in honorem Junonis. Lignea imago, quæ Dædala vocabatur, plauſtro impoſita, cum pompa ad delubrum Junonis vehitur, teſte *Pauſania in Bœoticis*. Lucus fuit quidam in Bœotia non procul ab Alalcomenis omnium maximus, & pervetuſta ibi quercus. Ibant in eum locum Platæenſes, & elixarum carnium fruſta exponebant, corvos omni conatu arcebant. Ex aliis verò volucribus obſervabant, quæ carnem abripuiſſet, ſuper qua arbore conſideret: ex illa arbore Dædala parabantur. *Natalis Comes Mithol. lib. 7. c. 16.*

CORINTHIIS redditum oraculum, eam arborem quærerent, in qua Baccharum ſacra ſpeculans Pentheus, ab iiſdem diſcerptus fuit, & inventæ divinos honores haberent. Illius igitur oraculi monitu arbore inventa duo ſigna lignea Liberi patris in foro poſuere inaurata, præter ora tamen, quæ minio oblita ſunt: Lyſinum alterum, alterum Baccheum nominant. *Pauſanias in Corinthiacis.*

FORMÆ.

Primi è Græcis ATHENIENSES, à Pelaſgis edocti, ſtatuas Mercurii erectis virilibus efformarent. *Herod. l. 3.*

FFFI-

EFFICIENTIS. QUOAD *Geſtum.*

Simulacra dei alicujus dedicaturi, legumina elixa pro primitiis offerebant dedicatis, ob memoriam grati animi de primo victu. Interdum etiam ſumptuoſiore hoſtia dedicabantur. *Suidas in proverbio*, Ἐτνεσιν ἱδρύεται.

FINIS, CAUSA.
Victoriæ adeptæ.

In ÆGYPTO in templo Vulcani ſimulacrum Apollinis Sminthii cum mure apprehenſo conſpicitur: propterea quòd Arabes, cùm regionem invaſiſſent, Vulcanus magnam vim murium effudiſſe, arcuſque & habenas corrodi feciſſe, atque hoſtes fugaſſe dicitur. *Alex. lib. 4. c. 12.*

ATHENIENSES deæ Nemeſi pro victoria Marathonia adverſus Perſas ſignum poſuerunt, in cujus capite corona cervos habet, & Victoriæ ſigilla: ipſa læva fraxini ramum, dextra phialam tenet. *Pauſanias in Atticis.*

GRÆCI, qui contra Perſarum regem bellarant, Jovem in Olympia æneum, Apollinem Delphis, vota de victoria ad Artemiſium, & Salaminem dedicarunt. *Pauſanias in Phocicis.*

Patriæ ſervatæ.

ROMANÆ feminæ, ſuſcepta legatione ad Coriolanum, cum ejus uxore, & matre precibus extuderunt, & effecerunt, ut urbi parceret, legioneſque barbarorum ex finibus Romanis adduceret. Quo tempore fama eſt, ſignum Fortunæ, cùm dedicaretur, vocem miſiſſe in hæc dicta: Piè me, & ritè mulieres urbanæ poſuiſtis. *Plut. de Rom. fortuna.*

ROMANI primùm ex ære ſimulacrum Cereri fecere ex peculio Sp. Caſſii, à patre propter affectatum regnum interempti. *Plin. lib. 34. c. 4.*

TRANSLATA.

Anno decimoquarto ſecundi belli Punici Decemviri ex Sibyllinis carmen in apertum retulerunt, brevi ROMANUM populum victoriam ex hoſte habiturum, ſi matris Idææ numen ex Peſſinunte Phrygiæ Romam accerſerent. M. Valerius Levinus, qui res in Græcia geſſerat, cum quatuor aliis legatis ad id miſſus eſt in Aſiam. Hi cùm Pergamum ad Attalum regem veniſſent, hoſpitaliter accepti, Peſſinuntemque adducti, lapidem, quem Matrem deorum incolæ vocabant, in naves permiſſu regis ſuſtulerunt. Præmiſſus eſt inde Romam M. Valerius Falco, legatorum unus, qui id Romam nunciaret, moneretque Patres, quærendum eſſe in civitate virum optimum, qui venientem deam exciperet, Scipio Naſica Cn. Scipionis filius illius, qui cùm fratre in Hiſpania periit, adoleſcens adhuc, Senatus judicio optimus civium judicatus eſt, ac omnium maximè dignus, qui, Matrem deum acciperet. Quid ille ordo ſit præcipuè in juvene ſecutus, parum traditur. Is cum matronarum cœtu ire Hoſtiam eſt juſſus, deamque è navi acceptam matronis deferendā tradere. Poſteà verò quàm navis ad hoſtiam Tyberini amnis acceſſit. Scipio in ſalum navi evectus, ſimulacrum à Sacerdotibus acceptum in terram extulit. Matronæ primores civitatis exceperunt, inter quas Claudiæ Quintiæ inſigne fuit nomen ad poſteros. Hujus cùm dubia priùs fuiſſet fama, clara eſt pudicitia eo miniſterio facta. Alii auctores ſunt, navim Tyberino vado hærentem, quia circumfuſa multitudo vario conatu remoliri non poſſet, cingulo unum Veſtalium Claudiam ſecum traxiſſe. Dies illi ſacer fuit, qui Idus Aprilis proximè præcedit. Ipſa in æde Victoriæ, quæ in Capitolio fuit, locata eſt, cùm nullum ad eam diem illi Romæ eſſet templum. *Sab. lib. 5. Enn. 5.*

Fortunæ ſimulacrum ex auro fabrefactum voluit ſacratiſſimum in cubiculo IMPERATORIS Romani poni, & poſt obitum in ſucceſſoris tabernaculum transferri, Spartianus memorat. *Alex. lib. 1. c. 13.*

RESTITUTA.

Procopius ſcribit, apud Beneventum eſſe ab DIOMEDE traditum Æneæ Palladium: quoniam de morbo ſciſcitanti redditum foret oraculum: Non priùs ex morbo convaliturum, quàm Trojano cuipiam Palladium reſtituiſſet. Ubi autem lateat id nunc, inquit, haud norunt Romani. Simulacrum oſtendunt tamen lapideum in Fortunæ fano ante Minervæ ſtatuam Æneam. Id verò præliantis imaginem præfert, & haſtam evibrantis. *Cælius lib. 28. c. 9. A. L.*

Memoratur, CONSTANTINUM magnum Imperatorem ſimulacrum Palladi Byzantium tranſlatum in foro ab eo nuncupato defodiſſe. *Idem.*

DATES Perſa non ſolùm verbis erga Delios pius fuit, ſed & cùm Apollinis ſignum in Phœniſſa navi repetiſſet, illud ſtatim Tanagræis Delum reportandum tradidit. *Pauſanias in Phocicis.*

SELEUCUS rex Aſiæ, Apollinis Coloſſum Mileſii à Xerxe ademptum, & Ecbatana aſportatum in Branchidas reportandum curavit. *Pauſanias in Atticis.*

Zonaras annalium Tomo 3. recitat, ſub ANASTASIO Imperatore ſimulacrum æneum Fortunæ urbanæ muliebri ſpecie, quod alterum pedem in navi ante ſe poſita, ænea & ipſa, haberet, alicubi in urbe Conſtantinopolitana ſtetiſſe, cujus navis, vel vetuſtate corruptæ, vel per inſidias contuſæ, fragmenta quædam ablata fuerint. Ex eo naves onerarias Byzantium ampliùs non appuliſſe: ſed cùm propè acceſſiſſent, violentia ventorum repulſas eſſe: ac niſi longæ naves, multis concitatæ remigibus, ſarcinas earum in urbem pervexiſſent, populum fortaſſis fame periturum fuiſſe. Quæ res cùm ad tempus duraſſet, curæ fuit magiſtratibus: cauſaque mali à quadam ſolerti conjectura indagata, fragmentis navis illius æneæ ſtudioſè conquiſitis, & in ſuum locum reſtitutis, expeditam navigationem, & mare navigiis repletum fuiſſe. Ut autem certò ſcirent, illud appellendis navibus obſtitiſſe, denuò ſublatis fragmentis, quæcunque naves tum appellerent, iterùm vi ventorum rejectas fuiſſe. Ea re comperta, navem illam magno adhibito ſtudio eſſe renovatam. Sed potuit diabolus hominibus alioqui deditis idololatriæ, ita permittente Deo, illudere.

RELICTA, NON TRANSLATA.

Q. FABIUS Maximus capto Tarento, direptoque. Quid ſignis deorum fieri vellet? rogatus, Deos, inquit, iratos Tarentinis relinquamus. *Plut. in apoptheg. & in Marcello.* Religionem ultionis prætextu diſſimulans.

CONSERVATA, E CLADE EREPTA.

DARDANUS accepto oraculo, manſuram urbem Trojam quandiù in ea Palladiū eſſet, quod à Chryſa Pallantis filia dotis loco acceperat, in intimam arcis partem illud recondidit, effecto altero quodam Palladio illi ſimillimo, quod in publico negligentius aſſervabatur. Cùmque Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio inexpugnabilem eſſe Trojanam urbem, ſalvo in eo Palladio, cognoviſſet, idque principibus Græcorum renunciaſſet, Ulyſſes, & Diomedes per fraudem primùm ingreſſi, deinde facta in cuſtodes vi, Palladium illud imaginarium ſurripuerunt; Alterum, capta jam urbe, SYCAS Æneæ tradidit, cum magnis diis, quos penates Trojanos vocant. Æneas in Italiam illud cum penatibus ſecum advexit. Hinc ex Alba longa, ſive, ut Varro putat, ex Lavinio Romam Palladium tranſlatum eſt, ſtatutumque in æde Veſtæ, quæ cùm deflagraret, L. Metellus Pontifex Maximus Palladium medio ex incendio ſuſtulit. Ceſſit illi audax conatus proſperè, nam deæ ſimulacrum ſervavit, ſed res feliciùs ceſſiſſet, ſi viſum non amiſiſſet. *Sabell. lib. 5. c. 1. Lud. Vives in Auguſt. de Civit. Dei lib. 1. c. 2. ex Varrone, Halicarn. Ovidio. Plut. Servio.*

Cùm jam captum eſſe Ilium, Achivi miſerati captivorum ærumnas, Græcè hoc per præconem denunciarunt, ut ſinguli ex liberis civibus, quod vellent, unum aliquod ſecum auferrent. ÆNEAS igitur cæteris neglectis, deos penates exportabat: Græci pietatem viri ſummo cum gaudio ſuſpicientes, permiſerunt inſuper unam ex ſuis poſſeſſionibus accipere. Ille patrem annis ex ſenio confectum, ſublatum in humeros portabat. Obſtupeſcentes etiam hoc facto non mediocriter, univerſas poſſeſſiones ei reliquerunt confidentes, eos, qui pietatem in homines, & deos exercent, quique parentes reverenter colunt, etiam natura inimicos, non poſſe non æquos, & placatos ſe præbere. *Ælianus lib. 3. de Varia hiſt.*

DEMOPHON ab Athenienſibus acceptum depoſiti loco Palladium cuſtodiebat, Agamemnone repetente: ac verum quidem tradidit civi cuidam Athenienſi, nomine Rhuzygæ Athenas deportandum. At æquale, & ſimile aliud factum, in tabernaculo habuit. Agamemnone verò cum magna manu adventante, repugnabat, ut omninò opinionem hoſtibus faceret, ſe pro vero pugnare. Multis autem vulneratis. Demophontis milites ceſſerunt. Agamemnon fictum Palladium rapuit, & deceſſit. *Polyænus lib. 1.*

EXORNATA, LAUTA.

Ergances deæ ſignum eſt in templo Jovis Olympii. Huic deæ PHIDIÆ poſteri, quibus publicè negotium datum eſt, ut